

BIBLIOTHECA  
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XVI.

BARTHOLOMEUS FRANKFORDINUS  
PANNONIUS

OPERA  
QUAE SUPERSUNT

EDIDIT

ANNA VARGHA

MCMVL. — EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST.

BIBLIOTHECA  
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM  
REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)  
SAECULUM XVI.

BARTHOLOMEUS FRANKFORDINUS  
PANNONIUS

OPERA  
QUAE SUPERSUNT

EDIDIT  
ANNA VARGHA

MCMVL. — EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST

**EXCUDEBAT TYPOGRAPHIA LEOPOLDI BARTOS, SZEGED**

## INTRODUCTIO.

### I. — *De vita scriptisque\* Bartholomei Frankfordini Pannonii\*\*.*

#### a) Vita.

De Bartholomei<sup>1</sup> Frankfordini<sup>2</sup> Pannonii<sup>3</sup> vila tantum per pauca, quae ex operum eius dedicationibus et epistolis colligi possunt, novimus. — E nomine familia eius Frankfordinae<sup>4</sup> originis fuisse et in Hungariam migrasse conicitur<sup>5</sup>; sieri potest, ut Bartholomeus noster iam in Hungaria, elquidem fortasse Budae<sup>6</sup> natus sit. Annum natalem 1490. fuisse suspicamus, nam in universitate Viennensi a. 1515. magister factus est<sup>7</sup>; Viennae cum humanistis Collimitio (Tanstetter), Iohanne Acher, Victore Gamp, Wolfgango Pidinger et praecipue Ursino Velio et Ioachimo Vadiano<sup>8</sup> amicilia coniungebatur, a quibus stimulatus et ipse humanista esse voluit<sup>9</sup>. Et primum Batrachomyomachiam Homeri a Iohanne Capnione (Reuchlin) in Latinum versam et a Vadiano 1510. editam iterum publici iuris a. 1516. fecit<sup>10</sup>, quam editionem cognato suo<sup>11</sup> Michaeli utriusque iuris doctori, praeposito Colocensi et canonico Albae Regalis<sup>12</sup> dedicavit, cui etiam Ursinus Velius suum carmen dedicatorium<sup>13</sup> addidit<sup>14</sup>. Budam c. a. 1517. reversus tres epistolas<sup>15</sup> ad Ioachimum Vadianum scripsit. quarum primam a. 1517. exeunte vel proximo ineunte<sup>16</sup>, duas posteriores mensibus Martio et Aprili a. 1518. misit. In prima epistola Bartholomeus scribit se ludi magistrum<sup>17</sup> Budae esse; in secunda hortatur Vadianum, ut quendam tristissimum casum caneret, e quo elucet Bartholomeum nostrum sensisse se spirilum poeticum non habere; in tertia de quodam opere suo facit mentionem, quod per Vadianum limandum et edendum rogal. Quod manuscriptum certe Comoedia Gryllus et Certamen vel alterum, cui postea alterum adiunxit, fuit. Comoedia igitur Gryllus, quam Georgio marchioni Brandenburgensi, et Certamen, quod Georgio Szatmári episcopo Quinqueecclesiensi dedicavit, certe a. 1519.<sup>18</sup> in lucem edita sunt. Nescimus, quo anno Romam<sup>19</sup> profectus sit, unde a. 1522. revertitur. Tunc Sembniciae (Selmecbánya) morabatur, unde epistolam ad Georgium N. notarium Cremlniensem (Körmöcbánya) scripsit, in qua cum Conrado Cordato, qui eo tempore in oppidis metallicis Hungariae septentrionalis Lutheranismum propagabat, amicitia coniunctus et ipse doctrinam Lutheri sequentem se ostendit. Bartholomeus igitur una cum Ursino Velio primum cognatum suum Michaelem praepositorum, deinde Georgium marchionem Brandenburgensem et Georgium Szatmári<sup>20</sup> episcopum Quinqueecclesiensem sibi patronum conciliare contendebat, tum novae religioni adhaesus et patronos relinquere et ludimagistratu Budensi abdicare coactus est. De posterioribus vitae annis nihil habemus. — Credi non possunt alia quoque opera ab eo esse composita; quaedam certe epistolae perierunt vel adhuc latent.

\* De vita scriptisque Bartholomei Frankfordini Pannonii profusius scriptimus cum extracto Germanico in hac dissertatione: Bartholomeus Frankfordinus Pannonius (in periodico: Archivum Philologicum — Egyetemes Philologiai Közlöny, Budapest, t. LXIII. (1939.), pp. 65—74. — Eadem dissertatione separate impressa: Budapest, 1939.

\*\* Scriptor noster ordine chronologico his nominibus nominatur et se scribit: 1. Bartholomeus Franck. Budensis (comm. 7.), 2. Bartholomeus Frankfurter Pannonius (I. 1, 1.), 3. Bartholomeus F. (IV. 1, 1.). 4. Bartholomeus F. P. (IV. 2, 1.), 5. Bartholomeus F. M. (magister) (IV. 3 5.), 6. Bartholomaeus Pannonius (II. 1, 1.; III. 1, 1.), 7. Bartholomeus Francforder (comm. 8.), 8. Bartholomeus Frankfordinus Pannonius (IV. 4, 8.): sub his nominibus sine dubio scriptor noster intellegendus est.

<sup>1</sup> Bartholomeus: in autographis manuscriptis BSC (IV. 1, 1; 2, 1; 3, 5; 4, 8) et in libro impresso f (I. 1, 1; 2, 11). — Bartholomaeus: in solo libro excuso s (II. 1, 1; III. 1, 1).

<sup>2</sup> Frankfordinus: in autographo manuscripto C (IV. 4, 8). — F.: in autographis manuscriptis BS (IV. 1, 1; 2, 1; 3, 5). — Frankfurter forma Germanica in libro impresso f (I. 1, 1). — Deest libro excuso s (II. 1, 1; III. 1, 1).

<sup>3</sup> Pannonius: in autographo manuscripto C (IV. 4, 8). — P.: in autographo manuscripto S (IV. 2, 1). — Pannonus: in ultraque editione fs (I. 1, 1; II. 1, 1; III. 1, 1). — Deest manuscriptis autographis BS (IV. 1, 1; 3, 5).

<sup>4</sup> Certe civitas Frankfordia ad Oderam (et non ad Moenum) sita esse intellegitur, cum qua civitate Hungaria ab a. 1477. maiorem necessitudinem habuit.

<sup>5</sup> Michael enim cognatus Bartholomei a. 1516. iam praepositus Colocensis et canonicus Albae Regalis factus est. (V. comm. 12.)

<sup>6</sup> Bartholomeus in matriculis universitatis Viennensis Bartholomeus Franck. Budensis inscriptus est. (V. Schrauf, op. c. et comm. 7.). Fieri potest, ut Bartholomeus non Budae natus sit, sed postea ibi habitaverit. — Quidam, ut Jankovich (op. c.) et post eum Nagy (op. c.), Klimes (op. c.), Horváth (op. c.) Bartholomeum nostrum, nescimus, quibus indicis, Posoniensis originis, Kémény (op. c.) autem externae, certe Frankfordinae suisce arbitrantur. (Jankovich dissertationem primum Posonii publici juris fecit.)

<sup>7</sup> E carmine dedicatorio Ursini Velii ad Michaelem praepositum Colocensem et canonicum Albae Regalis scripto (App. II. 9.) Bartholomeum nostrum, cum a. 1516. Batrachomyomechiam edidit, iuvenem suisce intellegimus. Non igitur de nostro scriptore facit Muzkowski mentionem, cum quendam Bartholomeum de Frankfordia a. 1490. baccalaureatum factum memorat. Fieri potest, ut hic Bartholomeus pater nostri Bartholomei fuerit. — Celerum Creizenach (op. c., p. 52. nota) Bartholomeum nostrum recte baccalaureatum suisce dicit, nam certum est nostrum scriptorem suisce illum Bartholomeum Franck. Budensem, qui secundum Carolum Schrauf (op. c.) a. 1515. Vindobonae officiis magistri functus sit (cf. IV. 3, 5 et Annot. Crit. IV. 3, 5., ubi M. certe magistrum significat, quamquam non Bartholomeus F. magister, sed Magister Bartholomeus F. scribendus esset). In epistola quoque Ursini ad Vadianum scripta Bartholomeus magister nominatur (cf. comm. 8.).

<sup>8</sup> V. IV. 1—3. — Creizenach op. c. — Amicitiam Bartholomei nostri praecipuum cum Ursino Velio carmen dedicatorium Ursini ad Michaelem praepositum et canonicum scriptum (App. II.) et epistola eiusdem Ursini ad loachimum Vadianum missa testantur (Arbenz, op. c., vol. I., epist. 124., p. 223.: Saluas Sebastianum Hinco archidiaconum admoneasque, ut suis in literis magistrum Bartholomaeum Francforder, iucundissimum mortalem, meo nomine peramice, quoties scriperit, salutet).

<sup>9</sup> V. inferius notam 20.

<sup>10</sup> V. inferius editionem f. — Per multa falso versionem Batrachomyomachiae Bartholomeo nostro attribuerunt (Trausch, op. c. p. 55.; Toldy, op. c. p. 66.; Abel, opp. cc., Reinhardstoeltner, op. c.; Szilágyi, op. c. p. 566.; Horváth, op. c. p. 258.), cum et nomen Ioannis Capnionis (Reuchlin) vertentis versioni praescriptum esset (cf. App. I. tit. Annot. Crit.) et editio Bartholomei editioni principi versionis Capnionis ad verbum concordaret, sicut nos ambas editiones contulimus (v. editionem r). Szinnyei (op. c. col. 644.) versionem Batrachomyomachiae Ioannem Capnionem Bartholomeo dedicasse credit.

<sup>11</sup> Quo affinitatis vinculo sint coniuncti, ignoratur.

<sup>12</sup> Denis (op. c. p. 153.) et post eum Horváth (op. c. p. 258.) erronee credunt Michaelem utriusque iuris doctorem, praepositum Colocensem et canonicum Albae Regalis et Michaelem vicarium Quinqueecclesiensem, de quo posteriore Valentinus Cybeleius in Opusculo de laudibus et viluperio vini et aquae (Valentinus Cybeleius Varasdiensis, Opera, ed. M. Révész. 1939. [Bibliotheca Scriptorum Medii Recensisque Aevorum] Opusculum 2.) facit mentionem, eandem personam fuisse, nam versio Batrachomyomachiae mense Iunio a. 1516. excusa est, Opusculum autem Cybelei eodem anno exeunte scriptum et proximo anno ineunte impressum certum esse creditur (Denis, op. c. p. 154.; dedicationem Cybeleius pridie Idus Ianuarias [sc. 1517.] scripsit: ed. sup. mem. Dedicatio, 11.), immo, si, ut certo credimus, Michael utriusque iuris doctor, praepositus Colocensis et canonicus Albae Regalis, cui versionem Batrachomyomachiae Bartholomeus noster dedicavit, et Michael praepositus Colocensis et doctor utriusque iuris, ad quem Nicolaus Oláh quatuor epistolas anni 1529—30. scripsit (Nicolai Oláh Codex Epistolaris, ed. Arnoldus Ipolyi, Budapestini, 1876., pp. 15., 93—94., 104—05., 105—06.), eadem persona fuerunt, lunc plane credi nequit Michael utriusque iuris doctor, praepositus Colocensis et canonicus Albae Regalis et Michael vicarius Quinqueecclesiensis eadem persona fuisse, nam Michael utriusque iuris doctor, praepositus Colocensis et canonicus Albae Regalis post aliquot (3—4) menses vicarius Quinqueecclesiensis et postea iterum utriusque iuris doctor, praepositus Colocensis esset factus. — Trausch (op. c.) in dedicatione Bartholomei nostri ad versionem Batrachomyomachiae scripta virum quandam Bornemissam (bor-nem-issa: [qui] vinum non bibit) laudibus electum fuisse Jacobum Pisonem scribit; Abel (op. c. 1880.) Trauschium refutat, errorem autem non emendat: Horváth (op. c. p. 258) hunc virum Bornemissam Iohannem Bornemissam fuisse dicit. Quia in dedicatione Bartholomei nostri ad versionem Batrachomyomachiae scripta nulla mentio de Bornemissa fit, Trausch et post eum Ábel et Horváth dedicacionem Bartholomei et Opusculum Valentini Cybelei (v. superioris comm. 12.), in quo Iohannes Bornemissa memoratur (144.), adnotationem Michaelis Denis (op. c. p. 153.) editioni Bartholomei nostri de Michaeli ascriptam (op. c. p. 153.; v. inferioris comm. 13.) non recte intellegentes confundant, nam Ludovici regis non solum Georgius marchio, sed Iohannes Bornemissa quoque nutritius fuit.

<sup>13</sup> App. II. — Thienemann (op. c.) et post eum Horváth (op. c. p. 258.) Bartholomeum nostrum patronum Ursini Velii fuisse dicunt, quod neque e dedicatione (ubi Velius Bartholomeum iuvenem modestum nominal), neque ex epistola Velii (in qua ad Vadianum scripta Bartholomeum per Sebastianum Hinco per amice salutet. v. comm. 8.) elucet, nec Bauch (op. c.) id memorat; Bartholomeus et Velius amici erant et Bartholomeus amicum Velium cognato suo Michaeli commendavit. — Item Thienemann dicit Bartholomeum praepositum Colocensem fuisse: Thienemann Bartholomeum cum Michaeli commutesse videtur.

<sup>14</sup> Sub titulo huius editionis Batrachomyomachiae haec leguntur: Sequitur aliud carmen iocis et facetiis refertissimum. Szébó et Hellebrant credebat hoc carmen „aliud“ ad Comoediam Gryllum (II.) et ad Certamen (III.) altinet, quae opuscula Bartholomeus una cum versione Batrachomyomachiae edere voluit. Quae opinio non recta est, nam Comoedia Gryllus et Certamen non sunt carmina, ceterum Batrachomyomachiam Vietor, Comœdiam autem Gryllum et Certamen Singrenius excuderunt. — Hoc aliud carmen non est aliud, quam ipsa Batrachomyomachiae versio, nam praesertim eo saeculo in usu fuit opera in eadem forma impressa statim in ordine praestituto colligare. Nimirum haec singula opera posterius alterum ab altero divisa sunt. Editioni Batrachomyomachiae quidam liber carmen continens praecedebat, nam de Batrachomyomachia ut de alio carmine fit mentio. Qua de causa dedicationes tres quoque in fine libelli collocatae sunt.

<sup>15</sup> IV. 1—3. Quas si tres eristolas certo autographas, licet in iis nomen nostri scriptoris in tribus formis: Bartholomeus F. P. et Bartholomeus F. M. inveniatur, cum quarta epistola autographa compareamus, sine dubio haec tres epistolæ Bartholomei quoque autographæ sunt. Goldest, quippe qui de nostro scriptore nihil noverat (in indice collectionis epistolarum Vadiano missarum in Bibliotheca Bremensi servatae), epistolam I. Bartholomei Facii esse scribit, quem sequitur Crecelius (Briefe an Vadian, in periodico Alemannia. Bonn, t. II. (1874.), p. 53., ep. 74.). Falso, nam Facius a. 1457.

mortuus est. — Arbenz tres epistolas primum (op. c. t. I., p. 214.) Bartholomeo Fontio Veneto, deinde (op. c. t. III., p. 167.) Bartholomeo Fontio. Matthiae regis Hungariae bibliothecario, postremo (op. c. t. VII., p. 178.) eiusdem nominis filio Bartholomaei Fontii attribuit, nam epistolae 2. secunda manu „Bartholomeus Fontius“, tercia manu „Bartholomeus Fontius medicus“ inscripti sunt. Falso, nam Bartholomeus Fontius Venetus, quantum comperiri potuit, nunquam Budae morabatur, minime autem a. 1518. praeterea secundum investigationes recentissimas (Ioh. Ninck. Arzt und Reformator Vadian, St. Gallen, 1936.) Vadianus Bartholomeo Fontio Veneto tantum c. a. 1530 amicitia coniungebatur; denique plane aliam scripturam epistolae 1—4. Bartholomei scriptae monstrant, alque epistolae Bartholomei Fontii Veneti a. 1533. scriptae; Bartholomeus Fontius, Matthiae regis Hungariae bibliothecarius iam anno 1513. mortuus est; ceterum Bartholomeus Fontius sacerdos sine liberis vita decessit.

<sup>16</sup> Quia in epistola 2. Bartholomeus ad Vadianum scripsit (2. 1.) se proxime ad eum litteras misisse, fortasse recte epistola 1. epistolae 2. praeposita est: Arbenz (op. c. t. I., p. 225.), quia epistola 2. 12. Martii a. 1518. scripta est, epistolam 1. fortasse iure a. 1518. missam dicit, nos a. 1517. exeunte v. a. 1518. ineunte scriptam credimus.

<sup>17</sup> Bartholomeus enim in epistola 1. (1.) scholastica negotia commemorat.

<sup>18</sup> Terminus, ante et post quem Comoedia Gryllus et Certamen scripta et edita sunt, intra annos 1516. et 1521. est, nam Ludovicum regem (I. 1. 11.; a. 1516. — patre Uladislao II. mortuo — Ludovicus II. rex factus est) et Georgium Szatmári episcopum Quinqueecclesiensem (III. 1. 1.; Georgius a. 1521. archiepiscopus Strigoniensis electus est) nominat. Quia in epistola 3. (2.) die 21. Aprilis a. 1518. scripta Bartholomeus quoddam manuscriptum Vindobonem missum memorat, hoc manuscriptum vel Comoediae Grylli vel Certaminis vel utriusque ea de causa paene pro certo a nobis habetur, quia Bartholomeus, quantum scimus, praeter dedicationes et epistolas tantum Comoediā Gryllum et Certamen composuit et nihil aliud, et ipse enim sensit se spiritum poeticum non habere (cf. IV. 2. 1.). E quibus coniectura fieri potest Bartholomeum haec duo opuscula vel ineunte anno 1518. vel saltēt hoc toto anno composuit et vel hoc anno vel proximo Vindobonee apud Singrenium per amicos excudi curavit. — Bartholomeus in ep. 4. rogavit Vadianum, ut carmen eius (sc. Vadiani) quoque libello adiungat; hoc carmen libello nunc deest. Fieri potest, ut Bartholomeum quoddam opus Vadiani, quod Gallus pugnans inscribitur et a. 1514. editum est, vel Ursini, quod Zelotypus inscribitur et a. 1516. in lucem prodit ad Certamen componendum horlatum sit. (Denis, op. c. pp. 114. et 334.) — Non est igitur mirum, si epistola 3. Bartholomei usque ad hoc tempus ignota Denis (op. c. p. 334.) et post eum Toldy (op. c. pp. 64. nota), Hoffmann (op. c. p. 210. nota 376.) et Horváth (op. c. p. 258.) haec duo opuscula intra annos 1516. et 1521. edita presuerunt; Apponyi (op. c. Hung. p. 114., Ger. p. 116.) item libellum post a. 1520. et ante a. 1521. posuit; Fraknói (op. c.) aequē, ac Denis, intra annos 1516. et 1521., Szilágyi (op. c. p. 556.) in annum 1520. ponunt, sed non ambobus opusculis, tantum de Certamine loquuntur; Jankovich (op. c.) annum 1517., Szabó et Hellebrant (op. c. p. 69.) qui opus Guilelmi Freknói citant, et Iosephus Fógel (tantum de Certamine: opp. cc. 1911. et 1913.) et Kárdos (op. c.) annum 1516. fuisse affirmant. Alexander Fógel (op. c.) tantum de Certamine et Iosephus Fógel (op. c. 1917.) tantum de Comoedia Gryllo sine anno loquuntur. — Nagy (op. c.) Michaelem Denis seculus Certamen intra annos 1516. et 1521., posuit. Comoediā Gryllum autem falso in annum 1515.. tamquam si non una in libello, sed separatum in duabus libellis apparuerint. Qui error ita prodit, ut Nagy de opere Chelidonii, quod Disceptatio Voluplatius cum Virtute inscribitur et a. 1515. apparuit, dicens paginas 38., 89., 149. operis Michaelis Mayer (Wiens Buchdruckergeschichte, Wien, 1882—83.) et paginas 137. et 201. operis Michaelis Denis (op. c.) falso Bartholomeo nostro, non autem Chelidonio adiunxerit.

<sup>19</sup> Bartholomeus non de Roma, sed Babylone loquitur. Secundum Vincentium Bunyitay (op. c.) [et post eum Hanuy (op. c.) et Horváth (op. c.)] de Babylone Roma ut sedes paganitatis intellegenda est, sicut apud scriptores antiquos invenitur, qua significatione praesertim Lutherani uti potuerunt.

<sup>20</sup> Iosephus Fógel (op. c. 1911.), Alexander Fógel (op. c.), Klimes (op. c.), Hoffmann (op. c.).

*B) Scripta ad nostram aetatem remansa (ordine chronologico).*

Editio Batrachomyomachiae Homeri Ioanne Capnione (Reuchlin) metaphrase (App. I.) cum dedicatione (I. 1.) et carmine dedicatorio (I. 2.) ad Michaelem utriusque iuris doctorem, praepositorum Colocensem et canonicum Albae Regalis scriptis et carmen dedicatorum Ursini Velii ad eundem Michaelem (App. II.). — A. 1516.

Epidstolae tres ad Ioachimum Vadianum scriptae (IV. 1—3.).  
— 1.: a. 1517. exeunte vel 1518. ineunte, 2—3.: a. 1518.

Comoedia Gryllus (II. 2.) cum dedicatione praemissa ad Georgium Brandenburgensem scripta (II. 1.) et Vigilantiae et Torporis Certamen (III. 2.) cum dedicatione praemissa ad Georgium Szalmári episcopum Quinqueecclesiensem scripta (III. 1.).  
— C. a. 1519.

Epistola ad Georgium N. notarium Cremoniensem (IV. 4.).  
— A. 1522.

*II. — De codicibus et editionibus.**a) Codices (et editiones ex his codicibus editae).*

B — Brema, Staatsbibliothek. Manuscr. a. 8. 231., chart. — Manuscriptum epistolam solam (IV. 1.) Bartholomei autographam, elquidem 1—7 in recto, 8. in verso folio continet.

a — Epistolam primum edidit Arbenz (op. c. t. I., pp. 224—25.).

S — Sanctus Gallus (St. Gallen in Helvetia), Stadtbibliothek. Manuscr. Vadiana, t. XI., 13. et I., 119. — Manuscriptum epistolas duas (IV. 2. et 3.) Bartholomei autographas continet. Epistola IV. 2. 1—5. Vadiana XI. 13r., et 6.: 13v.; in 13v. sub titulo secunda manus scripsit: Bartholomeus Fontius; in eodem folio superiore dextro tertia manus scripsit: Bartholomeus Fontius medicus. Epistola IV. 3. 1—5.: Vadiana I. 119r. et 6. 119v.

a — Epistolam primum edidit Arbenz (op. c. t. III., pp. 166—67. (IV. 2.) et t. I., pp. 213—14. (IV. 3.).

C — Cremonia (Kremnitz in Slovacia; Hungarice Körmöcbánya), Városi Levéltár (Archivum Urbanum). Fasciculus: Religionaria; Fons. 19., fasc. 1., nr. 26. — Manuscriptum solam epistolam (IV. 4.) Bartholomei autographam continet, elquidem 1—9. in folio recto et 10. in verso.

m — Primum edidit Tivadar (Theodorus) Botka in periodico Magyar Sion (Sion Hungaricum), Esztergom, t. V. (1867.), p. 124—25.

- t — Secundum edidit idem Botka: Barsmegye monographiája (Monographia comitatus Barsiensis), Aranyosmárót, 1884., pp. 123—24. ex editione m.
- v — Tertium edidit Bunyitay (op. c. pp. 57.) ex editione m.
- h — Quartum ediderunt Ábel—Hegedüs (op. c. 1903., pp. 34—35.) e codice C.

*b) Editiones (et editiones ex his editionibus editae).*

- f (rj\*) — 1516., Vindobona. — A<sub>1r</sub>: Homeri Batrachomyomachia, hoc est, bellum ranarum et murum Ioanne Capnione Phorcensi metaphraste. Sequitur aliud carmen iocis et facetiis referissimum. — A<sub>1v</sub>—B<sub>3r</sub>: App. I. B<sub>3r</sub>—v: I. 1. — B<sub>3v</sub>: I. 2. — B<sub>4r</sub>: App. II. et Impressum Viennae Pannoniae per Hieronymum Viatorem (sic pro Vietorem) mense Iunii anno MDXVI. — B<sub>4v</sub>: vacuum.
- s — C. a. 1519., Vindobona. — A<sub>1r</sub>: Bartholomaei Pannoni comoedia Gryllus et eiusdem inter Vigilantiam et Torporum dialogus; monogramma Singrenii typographi Vindobonensis. — A<sub>1v</sub>—<sub>2r</sub>: II. 1. — A<sub>2v</sub>—B<sub>1r</sub>: II. 2. — B<sub>1v</sub>: Vigilantiae et Torporis Virtute arbitra Bartholomaei Pannoni certamen. — B<sub>2r</sub>: III. 1. — B<sub>2v</sub>—<sub>3v</sub>: III. 2. — Exemplar rarum in Bibliotheca Apponyiana (in Bibliotheca Musei Nationalis Hungarici, Budapest) servatur. Singula exemplaria Denis (op. c. p. 335.) in Biblioteca Windhagiana (nunc Vindobonae) et Creizenach (op. c.) Cracoviae visa memorant.
- h — Post editionem s totum librum ediderunt Ábel—Hegedüs (op. c. 1903., pp. 21—23.: II. 1.; 23—30.: II. 2.; 31.: III. 1.; 31—33.: III. 2.)
- k — Partem quandam Certaminis Kardos redactor (op. c., pp. 100—04.: III. 2., 3—43.) una cum versione Hungarica edidit secundum editionem h.

*III. — De nostra editione.*

Si textu manuscriptorum (autographorum) vel editionum (originalium) deviavimus, Annotationibus Criticis fideliter ascripsimus. — Batrachomyomachiam ideo nunc iam terium edi-

---

\* In Annotationibus Criticis littera r significavimus variantes lectiones editionis Batrachomyomachiae a Capnione translatae, quam Vadianus a. 1510. Vindobonae apud Hieronymum Vietorem (editio rara in bibliotheca Musei Nationalis Hungarici inventur) in lucem protulit et Bartholomeus nositer in edenda Batrachomyomachia fundamento posuit. — Littera j significavimus in Annotationibus Criticis correctiones Adami Jungmair, qui — ut credimus — eodem saeculo multis in locis textum Batrachomyomachiae a Bartholomeo editae in eo exemplari correxit, quod in Bibliotheca Apponyiana (in Bibliotheca Musei Nationalis Hungarici) n. 114. asservatur. (V. Apponyi o.c.)

dimus, quia ea Stephanus Taurinus Olomucensis in carmine epico, quod Stauromachia (in hac Bibliotheca Scriptorum Medii Recentisque Aevorum nova editio nunc excuditur) inscribitur, et alii humanistae quoque in operibus condendis usi sunt.

#### IV. -- *Bibliographia.*

*Denis, Michael*: Wiens Buchdruckergeschicht bis MDLX. Wien, 1782., pp. 152—53., 334—35.

*Wallaszky, P. (Paulus : Pál)*: Conspectus reipublicae litterariae in Hungaria. Budea, 1808., p. 167.

*Trausch, Joseph* Schriftstellerlexikon oder biographische Denkblätter der Siebenbürger Deutschen, Kronstadt, 1868., t. I., p. 55.

*Jankovich, Miklós (Nicolaus)*: A magyarországi játékszínekről (De ludis scaenicis in Hungaria). In periodico Hirnök (Nuntius), Pozsony, t. I. (1837.), p. 50. et in periodico Társalkodó (Colloquium), redigit et edit Michael Helmezy, Pest, 1838., p. 100.

*Kemény, József (Iosephus)*: Történelmi és irodalmi kalászalok (Spicilegium historicum et literarium). In periodico Új Magyar Múzeum (Museum Hungaricum Novum), Pest, t. VII. (1857.), pp. 337—38. et in serie Történelmi és irodalmi Berek (Lucus Historicus et Litterarius), Pest, t. II., 1861., pp. 68—69.

*Toldy, Ferenc (Franciscus)*: A magyar nemzeti irodalom története (Historia litteraturae nationalis Hungaricae), Pest, t. II., 1862.. pp. 63—64., 66.

*Fraknói, Vilmos (Guilelmus)*: A hazai és külföldi iskolázás a XVI. században (De scholis Hungaricis et externis saeculi XVI.), Budapest, 1878., p. 350.

*Ábel, Eugen*, Die classische Philologie in Ungarn, in periodico Literarische Berichte aus Ungarn. Budapest, t. II. (1878.), p. 247.

*Idem*: Ábel Jenő (Eugenius): Magyarországi humanisták és a Dunai Tudós Társaság (De humanistis in Hungaria et de Sodalitate Danubiana), Budapest, 1880., p. 94. nota 24.

*Reinhardtstötner, Karl*: Plautus' spältere Bearbeitungen, Leipzig, 1886. p. 83.

*Bauch, Gustav*: Caspar Ursinus Velius. In periodico Ungarische Revue, t. IX. (1889.), pp. 26., 233.

*Arbenz, Emil*, Vadianische Briefsammlung, St. Gallen, 1890., t. I., pp. 213—14., 223., 224—25.; 1900., t. III., pp. 166—67.; 1903., t. V., p. 122.; 1913., t. VII., p. 178.

*Szinnyei, József (Iosephus)*: Magyar írók élete és munkái (De vita operibusque scriptorum Hungarorum), t. I., Budapest, 1891., coll. 643—44.

*Nagy, Sándor (Alexander)*: A tanodai dráma előzményei hazánkban (De origine fabularum scholasticarum in Hungaria), in periodico Irodalomtörténeti Közlemények (Dissertationes et articuli ad litteraturam altinentes), t. V. (1895.), p. 456.

*Szilágyi, Sándor (Alexander) (redactor)*: A magyar nemzet története (Historia nationis Hungaricae), t. IV.: *Fraknói, Vilmos (Guilelmus)*: A Hunyadiák és a Jagellók kora (Aetas Hunyadiorum et Jagellonum), Budapest, 1896., pp. 446. nota 2; et 556. et nota 2.

*Szabó, Károly (Carolus)—Hellebrant, Árpád*: Régi Magyar Könyvtár (Bibliotheca Hungarica Vetus), t. III., p. 1., Budapest, 1896., nn. 208. et 209. (pp. 67. et 67—68.)

*Creizenach, Wilhelm*, Geschichte des neueren Dramas, t. II., Halle, 1901., p. 52. et nota.

*Apponyi, Sándor, gróf (Alexander, comes)*: Hungarica. Magyar vonatkozású külföldi nyomtatványok (Hungarica. Libri apud exteras nationes

impressi et Hungarica continentis), Budapest, 1900., t. I., nn. 114. et 142. (pp. 87. et 114.) — Idem et idem Germanice: Apponyi, Graf Alexander: Hungarica. Ungarn betreffende im Auslande gedruckte Bücher und Flugschriften, München, 1903., t. I., nn. 114. et 142. (pp. 88. et 115—16.).

Schrauf, Károly (Carolus): A bécsi egyetem magyar nemzetének anyakönyve 1453-tól 1630-ig (Matricula nationis Hungaricae in universitate Vindobonensi ab anno 1453. usque ad annum 1630.), in serie Magyarországi tanulók külösföldön (Discipuli ex Hungaria apud exteriores nationes), t. IV., Budapest, 1902., p. 51.

Bunyitay, V., Rapaics, R., Karácsonyi, I.: Monumenta ecclesiastica tempora innovatae in Hungaria religionis illustrantia — Egyháziörténelmi emlékek a magyarországi hitújítás korából, Budapest, 1902., t. I., n. 56. (p. 57.).

Ábel, Eugenius (Jenő)—Hegedüs, Stephanus (István): Analecta nova ad historiam renascentium in Hungaria litterarum spectantia, Budapestini, 1903., pp. 21—35.

Hanuy, Ferenc (Franciscus): A lutheranismus Magyarországon a mohácsi vész előtt (De Lutherismo in Hungaria ante cladem Mohácsensem [a. 1526.]), in periodico Katholikus Szemle (Conspiculus Catholicus), Budapest, t. XX., (1906.), p. 258.

Fógel, Iosephus: Quomodo rex Wladislaus cancellariaque eius de rebus litterariis meriti sint in Hungaria. Commentarii nonnulli de historia litterarum renascentium in Hungaria. (MCCCCXC—MDXVI.), Budapestini, 1911., p. 24.

Fógel József (Iosephus): II. Ulászló udvarlartása (De aula regis Uladislai II.), Budapest, 1913., p. 79. nota 5.

Fógel, Sándor (Alexander): Celtis Konrád és a magyarországi humanisták (De Conrado Celte et humanistis in Hungaria), Budapest, 1916., p. 37. et 63. nota 10.

Fógel, József (Iosephus): II. Lajos udvarlartása (De aula regis Ludovici II.), Budapest, 1917., p. 73. nota 5.

Thienemann, Tivadar (Theodorus): Mohács és Erasmus (De Mohács [clades Mohácsensis a. 1526.] et Erasco, in periodico Minerva, Budapest, t. III. (1923.), p. 32.

Payr, Sándor (Alexander): Cordatus Konrád budai pap, Luther jóbarátja (De Conrado Cordato sacerdote Budensi, amico Lutheri), in periodico Ösvény (Semitा), Budapest, 1928., p. 29.

Hoffmann, Edith: Régi magyar bibliosilek (Bibliophili Hungari enliqui), Budapest, 1929., pp. 185. et 210. nota 376.

Klimes, Péter (Petrus): Bécs és a magyer humanizmus (De Vindobona et humanismo Hungarico), Budapest, 1934., pp. 60., 67., 69.

Kerecsényi, Dezső (Desiderius): Humanizmusunk helyzetképe Mályás után és Mohács előtt (De statu humanismi Hungarici post mortem regis Matthiae Corvini [1490.] et ante cladem Mohácsensem [1526.]), in periodico Irodalomtörténeti Közlemények (Dissertationes et articuli ad litteraturam attinentes), Budapest, t. XLIV. (1934.) p. 74.

Kardos, Tibor (Tiberius) (redactor): Magyar reneszánsz írók (Scriptores Hungari litterarum renascentium), in serie Magyar Irodalmi Ritkaságok (Opera rariora litteraria Hungarica), vol. 29., Budapest, 1934., pp. 100—05.

Horváth, János (Iohannes): Az irodalmi műveltség megoszlása. Magyar humanizmus (De cultura litteraria Hungarica divisa. Humanismus Hungaricus), in serie A Magyar Szemle Könyvei (Libri Conspectus Hungarici), t. XII., Budapest, 1936., pp. 258—59.

Varga, Anna: Bartholomeus Frankfordinus Pannonius, in ephemeride Egyelmes Philologiai Közlöny — Archivum Philologicum, Budapest, t. LXIII. (1939.), pp. 65—74. et separate impressum: Budapest, 1939.

I.

BARTHOLOMEUS FRANKFORDINUS PANNONIUS  
DEDICATIO ET CARMEN DEDICATORIUM  
BATRACHOMYOMACHIAE HOMERI IOANNE CAPNIONE METAPHRASTE  
A BARTHOLOMEO FRANKFORDINO PANNONIO EDITAE.

---

1. — **Dedicatio.**

Bartholomeus Frankfurter Pannonus reverendo, in Christo patri domino ac domino Mihaeli utriusque iuris doctori, praeposito Colocensi ac canonico Albae Regalis dignissimo, affini suo humanissimo salutem.

Cum ipse mecum multum diuque animo volverem, doctor celeberrime, utrum factu consultius extaret, an te ut unicum omnium studiosorum asilum ac patronum opere grande quid sonante aut tenui quodam pusilloque salutarem, ita tandem mihi persuasi, ut Batrachomyomachiam, hoc est, ranarum murumque proelium tuae consultatissime Minervae exhilarandi gratia mitterem, ubi animum quandoque tuum penitioribus lassatum studiis recrees, hanc, inquam, eclogam, in qua argumenti levitatem carminis maiestas plane HomERICA compensat, in quo quidem opere contaminando ne Zoilo quidem locus fuerit, cum non minori laudi detur res humiles eloquii gravitate exaltare, quam per se graves stili praestantia prosequi. Adde, quod, in omnium studiorum genere quo quisque exercitatus fuit, si quando animum remittere cogitavit, non inepte iocatus est. Ita Lucianus muscam extulit, Glauco iniusticiam defendit, Favorinus quartanam laudavit, Maro culicem deflevit. Quare, praesul consultissime, ludicum hoc Homeri poetarum facile principis (ex quo facilis dissexapton, quam misumenon fore existimo) a deditissimo tibi mancipio strenae loco accipe ac

Pellege Meonio cantatas carmine ranas,  
Et frontem nugis solvere disce meis.

Vale, praesidium et dulce decus meum.

---

## 2. — Carmen dedicatorium.

Ad reverendum in Christo patrem dominum ac dominum <sup>1</sup>  
Michaelem utriusque iuris doctorem ac praepositum Colocensem  
carmen.

- Non hic bella leges, quae magnus ad Ilium Atrides  
Gessit et Atridae frater et Eacides  
Nec quae cum Lacio commisit praelia Turno  
<sup>5</sup> Tros Anchisiades Dardaniaeque manus.  
Ad matutinas lege seria serius aures:  
Haec debent hilari iudicra fronte legi.  
Hic tumidis ausus mures committere ranis  
Meonides posita haec personat Iliade.  
<sup>10</sup> Accipe, digne pater maioribus, accipe, mittit  
Quod tibi pro strena Bartholomeus opus,  
Et lege iucundum concessa per ocia carmen:  
Tum me pellecto carmine gratus ames.
-

## II.

# BARTHOLOMEUS FRANKFORDINUS PANNONIUS COMOEDIA GRYLLUS.

---

### 1. — Dedicatio.

Illustrissimo principi domino ac domino Georgio dei gratia<sup>1</sup> marchioni Brandenburgensi, Stettinensi, Pomeraniensi, Cassaboriensi ac Selavorum duci, burggravo Nurenbergensi Rugiaeque principi, domino suo gratiosissimo Bartholomaeus Pannonus s.

Cum multum diuque mecum ipse cogito, princeps illustrissime,<sup>2</sup> quo animum iam poene marcescentem in usum contraherem difficile ratus rubiginem vel semel mordicus contractam inviciata materia refellere, quare non absonum duxi hac saltem aetatula speculorum ac paradigmatum totius humanae vitae (ut hoc comicorum) calcaneum aemulatione quadam (a longe saltem) sequi, hinc se, dum illa mecum reproto, materies duce orbata offert, Mecoenates si quos reperiam, cogito, ad quos institutum opusculum tuto volitaret, offert se tuae illustrissimae dominationis candidissima totius corporis facies, quam ut alias genuino quodam stimulo indies magis laudare, venerari amareque sattagerem, sic oportuno zelo idein tuae munificentiae dedicarem. Nequeo namque hac nostra quantacunque aetate comminisci, quem vel secundum etiam post tuam illustrissimam dominationem (cum ita polleat) posuero, maxime qui cum generis praeminentia inter caeteros principes, veluti sol liquidissimus inter astra, emices, quales namque habueris attavos, praesens per memoriam vita testatur. Quorum aetas Achilles alios bello, consilio Cunctatores ostendebat,<sup>4</sup> ut illi primas quasque acies non lucri aut ampli spolii intuitu, sed quo patriam et amicos seque postremo tutarentur, occupabant. Quis enim, princeps prudentissime, Albertum avum illum tuum,<sup>5</sup> virum non tam corporis, quam animi viribus praepollentem, Albertum, inquam, Romani huius invictissimi imperii electorem, veluti decantatissimum ex factis et stratagematibus praeclarissimis non declamet, cui hoc Graecum quodam divino numine εἰς οἰωνὸς ἀριστος ἀμύνασθαι περὶ πάτονς concessum est. Nec minor illustris-simos patruos tuos Ioannem et Sigismundum tenuit fama, quos, ut unicos habebas, ita unicos observabas. Nequeo patruelis tuae<sup>7</sup>

munificentiae illotis, ut aiunt, manibus loachimi principis clarissimi sacri electoris imperii nomen transire quam hic consilii promptissimi quam denique dictature peritissimi, cui me arbitro secundas dictatoris adscripsero partes. Venit recensendus reverendissimus Albertus Maguntinensis episcopus, patruelis itidem tuus dignus, me Hercule, alae clarissimorum virorum adscribi, de quo et pagine equissimo iure compleri possent. Sunt denique, quos adhuc habeas superstites non inferioris laudis Germanos, inter quos primus sese illustrissimus princeps Casimirus offert fidissimus ob eius singularem strenuitatem, prudentiam, consilia, constantiam ac magnanimitatem invictissimi imperatoris Maximiliani Achates, cuius fortia plaeraque facta etiam victoriae dona superare videntur. Quid de sanctissimo illo principe Alberto, egregiorum dominorum Cruciferorum Brussiae presule memorem, cuius fama tanto caeteris augustior per universam tenetur Sarmatiam principibus, quanto divina humanis paeferuntur, umbilicos etiam longissimae paginae laus repentina etsi pede pertractata fratrum reliquorum (quibus candes) exposceret, quo evenit, ut, si id provinciae subire niterer, Entellum Dares provocarem. Te postremo (etsi primus), princeps fulgentissime, orationi Eschinis similimum *νηράδεσσον χειρερίον* obvio assumo pectore, quem pietate Curios facile vincere agnovi, qui eloquio Regulos assumas, comitate Drusonibus comparandus venias, probitate Marcos aemuleris, aequitatis ac iusticiae candor tibi Traianum associat, quo fit, ut optimalium quivis invictissimi regis Ludovici te colat, observet et hoc non ex alio nisi amore magistro egregio provenire pro comperto ducitur, ad te veluti statuam Iulii confugiunt. Longius, observandissime princeps, me meus in tuam munificentiam amor distrahit, adeo, ut metuam etiam nunc epistolae modum excessisse; vela contraho, rudentes constringo, tuae me munificantissimae dominationi hoc meo qualicumque exercitio dedico proque dedicatio servulo mancupo, quod, cum per ocium licuerit, benignissime pellegito. Vale.

## 2. — Comoedia Gryllus.

### ARGUMENTUM FABULAE.

Senes Haliarchus et Clearchus gnatos: Apollidem Haliarcus, dum peregre proficiscitur, servuli incuria, quinquennem Ethicum Clearchus, dum sacra litat Apollini, amittunt. Forte maior natu Apollides manumissus hunc alterum a quodam emit Siculo proque servo utitur, quos *ambos* senes iuvenes insperato iudicio Grylli salvos ac reduces recipiunt domo. Decipitur tandem fugitiivi servuli technis parasitus.

PROLOGUS.<sup>4</sup>

Iubet vos salvere cunctos theatrales, scenicos, spectatores  
 comaedus optimos. Nemo rependit gratiam comoediam, non tra-  
 goediam acturis? Semovete frontes a vobis caperatas! Si qui  
 sunt hic, bleferones hirtas avellant, quo spectatius hanc spectent  
 fabulam, nam oculatis hic nobis opus erit testibus. Aures admo-  
 vete tamen, distinctos enim (ut fama refert) his regionibus habe-  
 tis sensus. Nunc animum advertite, ut, qui sedere nequeat, stando  
 negotium spectare libere possit. Senes, quos comoedus (morosos,<sup>8</sup>  
 vetulos, silicernos ac ob aetatem molestam lumbifragos, qui gra-  
 diuntur duplices) inducit, Athenienses sunt patricii non ignobiles  
 ambo, philosophus hic canibarbitius est insignis, miser cum forte  
 rem parat sacram, it ad fanum Apollinis, placatum et propicium  
 sibi suoque ut reddat deum filio. Ibi ut convenient plures mor-  
 tales, qui peractis sacris ludos edunt, forte puer tumultu, ut illo-  
 rum aetas expostulat, ludos spectat quinquennis; flentem vagum-  
 que vir Siculus (quia decorus forma) Trinacriam secum avehit;  
 illic, dum inopia pressus Siracusas secum defert, venum exponit.  
 Emit eundem gentilis suus (paulo ante manumissus ab Auripolide  
 Argentario civi Siracusano), huius alterius nequam senis gnatus.  
 Servit illic servitutem (ut exposcit eadem) miseram (malum enim  
 mancipium, spectatores, servitus). Casu, quia nunquam ante cer-  
 tam in servitute nactus abeundi copiam, ex fama Athenas patriam  
 revisit suam. Cum Aethico pariter vagabundi per urbem oberrant,  
 parasito tandem indice patres ambo pares pariter reperiunt. Post  
 fugitivi servuli astum urbano urbaniore ipsi contemplabimini,  
 spectatores; vos hic, ego intus, ubi mihi bene erit, spectabo. Vale,  
 cum revertar, mecum una adferam, interim valete tamen.

---

CLEARCHUS SENEX, AETICUS FILIUS QUINQUENNIS,<sup>13</sup>  
 BRACTEA SERVUS.

CLEARCHUS: Vos intus interim rem familiarem curate probe.<sup>14</sup>  
 ego deos mihi propios reddam, quibus tanta saltem aetate grati-  
 ficari liceat, dum enim iuventutem agimus, nisi miseriis moniti,  
 tanquam, si a nobis vitam fortunasque haberemus, parum nobis  
 cum dis bonis communionis usurpamus. Ego, etsi easdem iecerim  
 tesseras iuvenis, liceat saltem nunc seni bene bonis facere. Sequere  
 hac me, gnate mi, ut primo illa aetate bonum asuescas, quod ut  
 retineas, etiam labor est. Pura ut sint ac lauta vasa, curato. Ae-  
 tice mi, tenes singula? Calicem? Limpham? Merum? Farque?

AETICUS: En adsunt omnia, ut, cum iubet, sit abeundi copia.<sup>16</sup>

CLEARCHUS: Probe vos, ut aiebam, curate rem sedulo, ne  
 quod apud deos benemerui gratiae, id, cum rediero, maledictis  
 explodam.

BRACTEA: Curabitur.<sup>18</sup>

## GRYLLUS PARASITUS.

Dii immortales, quam nunc omnis prorsus alienatis est moribus iuventus! Pudet nunc etiam exercere histrioniam, ita nullus adest quaestus histrionicus. Summus iocus, summa ineptia desiere; foenerari foeneratores, pro sapiente quisque morionem agitat. Proh cives Athenienses, vestram imploro fidem, fiduciam ac, quam iam diu tenuistis, sospitem rempublicam, in vos ipsos non pedibus, sed consilio gradimini. Quorsum nunc iuvenes, decor patriae, quorsum, indeoles bona morata moribus! Inversa perversaque cernis omnia. Quondam histrionibus dabantur auris. Auscultabatur, si quis civis Atticus gnatum maiorem natu haberet, forte fortuitu me aut meum prognatum genere vitaque vicitantem offendebat: Infat ubi tibi coena? — Vacillanti mox ille: Me sequere! — et ne id quidem ob luxum, verum quo lassum studio, cura rei civilis, seu quovis alio animi aut corporis exercitio animum tandem lusibus nostris refocillaret. Nunc, cum omnem aetatem cogito, nusquam fiduciae tutus est locus meae. Quorsum igitur me recipiam modo, nequeo locum ullum comminiscier. Atat, memini, senem hunc priscis conscientia aggrediar moribus, si quid saltem, ut credo, apud eum veterem veteranum reliquiarum. Et quis hasce aperit edes? Inquam, propere vos, vos ultro e pessulis movete fores, ni vos mala res agitat, donec hunc admittatis lepidum parasitum. Confringam. Bellule admittite tandem. En Basium. Dii vos omnes, pessularii, postarri portariique, post hunc diem perdant! Nil moror. Tandem videbo, quid genius domui huic contulerit.

## CLEARCHUS ET HALIARCUS SENES.

28

CLEARCHUS SENEX: Rem divinam peregi, placare deos me posse arbitrabar, quos plane impios in me hac die sensi, nam, quem paulo ante mecum adduxi, hunc unicum deperdidi gnatum. Omnem discurro suburram, basilicas cunctas perlustro, si meum quispiam viderit filiolum. Multi me inani spe eiulantem solantur, nomen inquirunt deperditi. Aethicum illis nomino, qui, dii immortales, nec nomen tenent. Recurro mox ad alios et tandem alios, qui forte theatris constiterant aut alio pedem fixerant, nemio mortalium mihi miserrimo indicium facit nec desunt, qui (quos dii omnes escapites reddant) me irrideant. Heu miserum me, qui tanta iam aetate ludos, festivitates, amoenitates, delicias et vitam cum filio amisi. Heus omnes advenae incolaeque, ecquis meum vedit gnatum parvulum, parvulum, inquam, quinquennem? Veano capiti tuo, senex, qui ita rem tuam curas neglegenter.

HALIARCUS SENEX: Quis hic suis ineptis clamoribus omnes opplet plateas totumque confundit vicinium? Ibo visam, quisnam gentium quasi follis oppleatur eiulatibus. Proh Iupiter, quid video? Eccum senem vicinum. Accedam proprius, ut, quod illi

mali obvenerit, scruter; compellabo, nam miser oculos humi defixit. Salvus ut sis, te tuus salutat coaevus, Clearce.

CLEARCHUS: Quis me coaevum sibi tantis oppressum malis nominat?

HALIARCUS: Respice, senex lepidissime.

CLEARCHUS: Hem, Haliarce, et tu salve, sed cur, queso, cui dii malevolunt, huic et tu illudis modo?

HALIARCUS: Ego illudam? qui, obsecro?

CLEARCHUS: Quia lepidum me senem aiebas modo.

HALIARCUS: Non miror, sic hac aetate mox molestum accidat; est hic peculiaris senum, morosi ut sient, morbus. Sed, dic mihi, cur tam tristis?

CLEARCHUS: Quaeris?

HALIARCUS: Quidni quaeram, qui id nunquam sciverim nec te praeter nunc toto mense viderim.

CLEARCHUS: Filium perdidii.

HALIARCUS: Filium?

CLEARCHUS: Gnatum unicum.

HALIARCUS: Gnatum unicum?

CLEARCHUS: Vitam totumque aetatis meae solamen.

HALIARCUS: Quem obsecro? tuum Aethicum? Ubi gentium?

CLEARCHUS: In sacris Appollinis dum sacrifico, infantulus ludos miratur, quem ego miser posthac vidi nunquam.

HALIARCUS: Ne lachrymare hac aetate, senex, quem tot anni et nunc ferme orbarunt luminibus.

CLEARCHUS: Ah ah, Haliarce, quam hic cordi est charus meo!

HALIARCUS: Non inficiar, verum hoc unico solare saltem, quia iam decennio et filio et fugitivo simul servo careo. Eamus intro, terge oculos, sic diis forte placitum est, ne, dum filios efflictim deperimus, eos negligamus.

CLEARCHUS: Licet.

### PARASITUS, APOLLIDES, AETHICUS.

PARASITUS: Dii omnes deaeque hos pessimos disperdant sues! Ve illis miseris pernis, laridis glandibusque, quae velut uva pensilis ergastulo inclusae dies noctesque pensitant! Nimis ego esurii male, ceu lupi, qui miseri ligati in poenu et oppressi mole lapidaria cubant nec natare queunt, quum turdi, lepores, phasiani male illic vincti compedibus et affixi parietibus capite terram versus herent. Quorum misertus ego, cum per cancellum inspicio, solatus miseris, ne metuerent, me ipsis gratiam apud senem adepturum spopondi. Interea veniunt senes. Ego more meo insilio nequiter, aperio pharetram, promo unum iocosum iaculum, hii autem lippi senes maledici lachrymantur, ego itidem lachrymas eximo, quo mores convenient nostri; mox alter fuste me miserum contudit probe, adeo, ut vix lumbos contineam; ego

domo exilii illico (dii illos senes perdant!), ibo in forum, si quos iuvenes ex insidiis coepero, ibi eos compellabo, adloquar, iocos edidero; promptior enim haec aetas ad gaudia. Utinam et Minos ipse hos nequam senes in Acheronte flentes faxit! Sed ecum adolescentem, quem, ni fallor, servulus subsequitur, advenam esse oportet, ut vestitus indicat. Pone insidias, Grylle, tende rhetia, stringe nodos, quos ubi coeperis, ampla spolia nanciscare, necessum est.

APOLLIDES: Dii boni, cum patriam sic intueor post iam decennium, Ethice, vix piae loeticia asto, sic, quasi in somnis eam viderim, in mentem venit. Utinam quis se nobis offerat obvium, a quo aedium et patris sit inquisitio nobis. Sed ecum parasitum! Quam molliter incedit, imitatur eiconiam, credo; coenam venatur; hem, probe dierecta ad nos sibi iter sumpsit. Nequeo, quin hominem, etsi abiectum, notum tamen, alloquar. Salve, Grylle, hominum omnium et parasitorum nequissime!

PARASITUS: Nequam hic homo esse oportet, qui sui similem etiam procul agnoscit, mansuetus hic lepus est, domitus iam pridem, nam ultro sese irrettit. Sed propius aggredi lubet. Quis pestem agrorum frugumque perniciem nominat?

APOLLIDES: Huc, huc respice, malum mancipium. 61

PARASITUS: At tu optimum, quod hodie mihi coenam mancupabit opiparam. Iupiter dique omnes, quos coelum, quos terra quosque mare sustinet, vos salvos, advene, incolis advenisse volunt. Num vobis urbem emendi hanc est animus? Sic aedes cunctas examussim contemplamini, ne frustra inspicite, nondum de ea aucilio per praetorem propalata est; ob id aliani vobis urbem emptui eligite.

APOLLIDES: Ve capiti tuo, sic advenam reducemque herum accipis?

PARASITUS: Mihi Hector aut Menelaus heri fuerunt, quos praeter famam novi nunquam, ac iu.

APOLLIDES: Respice!

PARASITUS: Maton Apollo, quid video? Salve, Apollides, Atticae iuventutis exemplar, sed, te ob fidem obtestor tuam meaque, donec huc me recipio, paulisper astiteris patrique tuo redditum nunciem tuum.

APOLLIDES: Vivitne?

PARASITUS: Quidni, imo pervivit.

APOLLIDES: Salvus sum, propera igitur!

73

**GRYLLUS PARASITUS; HALIARCHUS, CLEARCHUS SENES;** 74  
**SERPUS, LINGO LORARI.**

PARASITUS: His ego hodie foribus exitium dabo, ni illico aperiantur. Heus et quis hoc aperit hostium?

HALIARCHUS: Importunus denuo furcifer. Nondum abis? 76  
Lingo, Serpe, abigite procul mastigiam ab aedibus.

- PARASITUS**: Ego lorarios tuos nihil moror, tecum mihi res est, te salvum volo, tibi gaudium gravatim adfero. 77
- HALIARCHUS**: Nil opus est gaudio tuo. 78
- PARASITUS** (in eum cum fiducia): Quid, si reducem tibi filium nuncio? 79
- HALIARCHUS**: Quem filium? 80
- PARASITUS**: Filiū et servum, salvos ambos. 81
- HALIARCHUS**: Filium et servum? Quam blanditur furcifer! 82
- PARASITUS**: Immo Apollidem tuum gnatum unicum cum Haliacte fugitivo servulo advenisse te certifico. 83
- HALIARCHUS**: Solvite flagitium, quo liberius mihi colloqui queat. 84
- LORARII**: Fiat. 85
- HALIARCHUS**: Filium meum cum fugitivo servulo advenisse aiebas? 86
- PARASITUS**: Aio, inquam, sic me sancta amet crapula et saturitas, ut hic salvus a te actutum conspicietur. 87
- HALIARCHUS**: Si vera dicis, certum est apud me meumque gnatum perpetuum tibi donari dapinarium. Age igitur, ut hunc videam. 88
- PARASITUS**: Priusquam asparagi coquantur, hic ero. 89
- HALIARCHUS**: Clearce, progredere! 90
- CLEARCHUS**: Quid est? 91
- HALIARCHUS**: Parasitus modo reducem mihi filium nunciavit. 92
- CLEARCHUS**: Apollidem tuum? 93
- HALIARCHUS**: Eum. 94
- CLEARCHUS**: Gaudeo, si quid boni tibi accidit, Haliarce. Utinam tandem, si diis placitum foret, ita mei, ut nunc tibi, vivendi daretur copia gnati. 95
- HALIARCHUS**: Faxit Iupiter. 96
- GRYLLUS PARASITUS; HALIARCHUS, CLEARCHUS SENES;** 97  
**APOLLIDES, ETHICUS ADOLESCENTES.**
- PARASITUS**: Hem tibi, senex felicissime, reducem insperato filium! 98
- HALIARCHUS**: Cum te salvum conspicio, gnate mi, gaudeo disque gratias ago. 99
- APOLLIDES**: Ne lachrymare, pater mi, cum dis ita placitum fuit, ut nos salvos ac sospites contemplaremur mutuo. 100
- HALIARCHUS**: Da manum etiam, fili, seni huic optimo. 101
- APOLLIDES**: Ut vales, communis amice? 102
- CLEARCHUS**: Ut homo miser. 103
- APOLLIDES**: Qui? 104
- CLEARCHUS**: Quoniam gnato orbatus meo. 105
- APOLLIDES**: Dic, sodes, fuitne ullus tibi gnatus? 106
- CLEARCHUS**: Utinam ita nunc hic esset, ut fuit. 107
- APOLLIDES**: Parvulum esse oportuit. Quotennis, obsecro? 108

CLEARCHUS : Cum hunc amisi, quinquennis erat ; nunc, si <sup>109</sup> usquam gentium vitales carpit auras, iuvenem bellum aestimo.

APOLLIDES : Nomen quod illi indideras ? <sup>110</sup>

CLEARCHUS : Ethici, nam civilis hic puer erat, quo evenit, <sup>111</sup> ut eum Athenienses ita appellitarent.

APOLLIDES : Serva me, Iupiter. Quam inopinatum gaudium ! <sup>112</sup> Sic fata forte ipsique coelicole hominum fortunas disponunt et tuas nunc, senex optime, cum hic gnatus tuus in noti et amici manus inciderat. Quare te nunc communem amicum communis participem esse volo hilaritatis. Is est tuus Ethicus, quem manu- <sup>113</sup> missus ab Auripollide Argentario forma et facie istius motus a Syracusano quodam homine viginti minis emi, quas dum reddis, tuum tibi emancupo doque liberum gnatum.

CLEARCHUS : Apollides, cum sic me beas, habeo gratiam. <sup>114</sup> Viginti probe reddo minas. Quantas ego pro te, Ethice mi, profudi lachrymas ?

PARASITUS : Hic solus dies candido non calculo, sed mar- <sup>115</sup> more signandus, qui ambos tam belle beat senes. Sed, quod in rem tuam faciet, id ne neglexeris, Grylle ! Priusquam hoc loco abeatis, vos per Stygias paludes adiurasso, pro perpetuo dapinario praestato fidem.

CLEARCHUS : Promittimus tanquam de nobis bemerito. Hali- <sup>116</sup> archie, nos in aedis, ubi merorem gaudio, famem sacietate antevertamus, recipere licebit.

PARASITUS : Vos interea rem agite coquinariam, ego servum <sup>117</sup> Haliactem inox huc vinctum adduxero.

HALIARCHUS Obsecro, rem egeris sedulo. Lingo, Serpe, <sup>118</sup> hunc sequimini.

LORARII : Fiat. <sup>119</sup>

HALIARCHUS : Conde, singula ut, dum sacris innitimus, <sup>120</sup> curenur intus probe. Adsit rerum omnium ubertas !

CONDUS COQUUS : Curabitur. <sup>121</sup>

### GRYLLUS PARASITUS, HALIACTES SERVUS, LORARII. <sup>122</sup>

PARASITUS : Vos huc paulisper secedite, callide tamen ; <sup>123</sup> cum vos primum advocasso, vos moras rumpite.

LORARII : I modo. <sup>124</sup>

PARASITUS : Heus, bone vir, Haliactes, hoccine probi servi <sup>125</sup> officium ? Siccine frugi servum licet herilem filium claim patre abducier ?

HALIACTES : Quae te mala crux agitat, surcifer ? Herilem <sup>126</sup> filium ? Quem tu mihi Haliactem nominas ?

PARASITUS : Sic, quasi non noris, lepidum mancipium, <sup>127</sup> scelerum acervus.

HALIACTES : Is homo monstrum agit. Apage a me procul ! <sup>128</sup> Quid me tenes, furiarum alumne ?

PARASITUS : Lingo, Serpe, huc propere ! vincite mastigiam <sup>129</sup>

et verberonem pessimum !

HALIACTES : Quid feci ? Depredatum huc vos coepistis, ne- 130  
quam pessumi. O cives Athenienses, vestram imploro fidem !

PARASITUS : Nil opus est hic fide, si nos te, plagipate, 131  
hodie ob fidem tuam in pistrinum et lapicidinas miserius, exem-  
plo ut sis caeteris, qui servitutem serviunt, servis.

HALIACTES : Audesne me, flagitium, liberum servum voca- 132  
rier, modo qui Aethiopiam egressus sum!? Apagete a me actatum,  
carnifices. Hem tibi, ut denuo hominem liberum pro servo autumes.

PARASITUS : Heu me miserum, heu, lorarii, adsitis, quaeso. 133

LORARII : Nos, si sapimus, terga vertemus. Indamus alas 134  
pedibus ; hic non alia opus est fiducia. Viden, Lingo, ut Ache-  
rontis ianitor hunc contundit miserum ? Me sequere, quantum  
potes.

PARASITUS : Sine, obsecro, quisquis es, liber et here mi. 135

HALIACTES : I in maximam malam crucem ! Servus is frugi 136  
non est, qui, quasi e promptuario, fallacias callidas, ut lubet,  
prompte promere nequit, quo corium salvet suum. Di boni, quan- 137  
tas hoc tergo plagas, quot flagra sustinuisse, ni docte perso-  
nam mutavissem. Ego, donec fortiorem nactus adversarium, hinc 138  
me recipio. Vos valete et plaudite ; castis hanc moribus comoe-  
dus egit comoediam, spectatores optimi.

---

### III.

## BARTHOLOMEUS FRANKFORDINUS PANNONIUS VIGILANTIAE ET TORPORIS VIRTUTE ARBITRA CERTAMEN.

---

### 1. — Dedicatio.

Reverendissimo in Christo patri domino ac domino Georgio <sup>1</sup> episcopo Quinqueecclesiensi, alias maiestatis regiae cancellario supremo domino suo gratiosissimo Bartholomaeus Pannonus s.

Meminimus et pro comperto ducimus luce moeridiana clarius <sup>2</sup> in hominum optimorum memoria comprehendendi, qui sicco saltem (ut aiunt) pede historiam non praetergressi sunt, statis quandoque diebus annisque Romanos ipsos alios exercitio corporis, alios (et praestantiores) animi exercuisse palestras, quo animum cum rei civilis pondere labefactatum, tum denique studio pervigili fatigatum tactu terrae (exemplo Antaeiano) viribus resumptis denuo pugnarent. Quod facilius apprehendemus, si Argiva illa lustrica <sup>3</sup> certamina contemplati fuerimus. Quis enim eos quasi totius armis belli, industria, ingenio denique orbe universo exuberantissime praepollentes abs re ludos eiusmodi auspicatos fuisse dubitet? Neminem enim, domine reverendissime, latere arbitror, ut quos <sup>4</sup> recensui, orbis imperatores Saturnalia non nisi summo ovamine prosecutos fuisse seque mutuo xeniis ac apophoretis condonasse, unde, antistes humanissime, praesens Vigilantiae ac Torporis certamen castis plane moribus tuae politissimae Minervae dedicandum duxi, in quo censoris limatissimi adhibueris officium. Si forte <sup>5</sup> quibusdam in locis mox ad stomachum non faciet, tua tamen nihilo setius reverendissima dominitas primam saltem pagellam pellegat. Plura, dum per ocium literarium licebit de me, in tui nominis aeternitatem moraturus. Vale.

---

2. — **Vigilantiae et Torporis Virtute arbitra certamen.**

VIGILANTIA : Vigilantium si forte mortalium aliqui non ex pigmentis veterumve tabulis, sed quibusvis Apelleis imaginibus, e quibus aut Pythagoram, Aristotelem divinaque censura Catonem, cum eorum tenerent imaginem, imitarentur, longe tamen anfractibus deviis, quod simulachro deviantur, ambiunt. En adsum rerum mearum provida; poenitentiam seram rerum consultricem abs me propello; procul appage, si quid consultum minus pro video, priusquam urgari: odi delitescentes somno, ganeis et immundo amori obstrictos, qui licet vigilem requirat (nam vigilis Cupidinis arcus, delitias amarus amor exposcit), ast exorbito nec proprio stimulo contenta aliis calcar addo, quoties res etsi quandoque arcia curetur. Sed, o Iupiter, quid intueor profecisse iam lassa! Quid ego misera hic cerno, homone an belua est, nam coeno illitum squallidum truncum arbitror torpescensem. Heus tu, quid stertis? Tu, inquam, — tibi dico, homone an monstruosa chimera! — non loqueris? Ast hominem; en schedam: notas affixit. Mirum, qui ingenium opus exequi poterat. Sed legam! Proh di immortales, quid video?! Is est, quem mari terrisque prosecuta sum; cum enim infantula adhuc Torporem charis a parentibus profari audisset nomen tenellis ac credulis auribus molestum semper, monstrum hoc hucusque crebrius insequens probe teneo. Heus tu, Torpor, Torpor, nil respondes?! Sed quis me misera beatior foret unquam, si hic Lethaeum gustasset? Experiari. Torpor, te volo: te ego per somnum dulcissimum hominum corporibus tacite irrepentem mortis simulachrum adiuro, responde.

TORPOR : Hu, hu!

VIGILANTIA : Perii, vivit.

TORPOR : Quis me miserum tanta suavitate orbat? Sine, obsecro, sine, torpeam.

VIGILANTIA : Surge, ignavum pecus, inquam, surge! Nonne musaeum cernis? Sic conspectum optimi principis colis?

TORPOR : Hem, quid est? Esumne aut potum vocas? Da, obsecro, quod mandam quodque obsonem, ut denuo torpeam.

VIGILANTIA : Tibi dico, vigila, sume actutum mapulam, qua oculos abstergas.

TORPOR : Ubi patina? Praesta urceum: liguriam, quo somnum incitasso facilius.

VIGILANTIA : Belua, non urceum, sed, sus, surge, inquam, a coeno!

TORPOR : Bene, Hercule, prebe suillam probe saginatam, sed, quaeso, papaver adspergito, nam et id ad somnum facit.

VIGILANTIA : Di te perdant, vigila tandem!

TORPOR : Beas me, cum pernam nominas; cedo etiam glandulas! Nimis venter fame crepat, vacuum metuo.

VIGILANTIA : Nondum vigilas? Vigila, Torpor, vigila, Torpor,

vigila, vigila ! en patinam, urceum, sumen, pernas, glandulas !

TORPOR: Heu me miserum, quis tam importunus somnus <sup>19</sup>  
nunc me occupat !? Vigilandum satius erit nunc, quam torpe-  
scendum.

VIGILANTIA: Tibi dico, vigila, conspice, contemplare, quos <sup>20</sup>  
cernas.

TORPOR: Miser ego, quam grave somnium habui et optime <sup>21</sup>  
certe : risum movebo spectatoribus. Vultis, ut dicam somnium ? Sed  
dicam ! Cum iamiam delitescerem, videbar laitis ferculis interesse <sup>22</sup>  
musaeoque stipari, non tamen ipsis frui potuisse, venientem mulier-  
culam meque lacescentem et, nescio, quo coniurationis genere,  
post plagis misere adficiem. Et, ni fallor .. hem dexteram,  
quam tumet ; sed, quaequo, quisquis es mulier et quae sis, dic, sodes.

VIGILANTIA: Nondum coepisti ? <sup>23</sup>

TORPOR: Nec memini quidem. Sed scin, cur inquiero ? Ut, <sup>24</sup>  
cum dixeris, sciām.

VIGILANTIA: Vigilantiam non nosti ?

TORPOR: Ast pereas, quae me somniantem vigilem vilem, <sup>26</sup>  
Vigilantia, reddidisti !

VIGILANTIA: Sed eccam Virtutem dominam et reginam ! Salva <sup>27</sup>  
ut sis dea, diis suplico.

VIRTUS: Et tu ! Sed quid rumores isti ? quorsum eiulatus, <sup>28</sup>  
quos editis ? Vah, quid Sphingis monstrum huc adduxti, Vigilantia ?

VIGILANTIA: Monstrum hoc mortis aenulum ego tua pe- <sup>29</sup>  
dissequa iussis obsequens refeci denuo.

VIRTUS: Probe. <sup>30</sup>

VIGILANTIA: Sed, obsecro, monstrum hoc, mea Virtus, ne <sup>31</sup>  
impune transeat, iudex pro tribunali asside.

VIRTUS: Decet. <sup>32</sup>

VIGILANTIA: Progredere, lamia et larva nocturna Endimeo- <sup>33</sup>  
nis heres ex asse.

TORPOR: Obsecro ! <sup>34</sup>

VIRTUS: Mea amata, — mitius nam emendabitur, ut spero, <sup>35</sup>  
— accede ! Promittis somnolentiam ac torporem in posterum non  
tantum sectarier ?

TORPOR: Promitto. <sup>36</sup>

VIRTUS: Spondes Vigilantiam nomini tibi fore ? <sup>37</sup>

TORPOR: Spondeo. <sup>38</sup>

VIRTUS: Ganeam, crapulam posthabere ? <sup>39</sup>

TORPOR: Ganeam, crapulam posthabere. <sup>40</sup>

VIRTUS: Virtutem, Vigilantiam summo conatu imitari ? <sup>41</sup>

TORPOR: Virtutem, Vigilantiam summo conatu imitari per <sup>42</sup>  
hoc immensum, horridum, sanguinarium, cruentum gallorum galli-  
naciorum praelium iuro.

VIRTUS: Omniaque parentem Virtutem, omnes spectabiles <sup>43</sup>  
spectantes, veneratione colite. Spectatores, sic itur ad astra !

---

## IV.

### BARTHOLOMEUS FRANKFORDINUS PANNONIUS EPISTOLAE.

---

#### 1. — Ad Ioachimum Vadianum.

Ihesus, Maria. Bartholomeus F. Fadiano suo salutem. Quum <sup>1</sup> ac tenus nullas ad te dederim literas, ne mireris, velim, adeo enim istis tempestatibus sordidis passim distrahor scolasticis negotiis, ut nec tempusculum quidem mihi aut amicis supersit. Cupio <sup>2</sup> nihilosecius hiis unicis sepissime tibi bene esse totumque symposium tuum dominum dominum Victorem, Ayher precipueque mei observandissimum Colemicum strenuumque futuorem prium in re futuaria, qui quasque struat acies nec nisi lassus beneque saucius admittat commilitonem: hunc volo, si fortassis preter faciem nil noscas, geminiutrium modialem Bohemum nomine meo salutassis, cunctos plurimum et reliquos, quos communes tenuimus preter salis modium, amicos. Velim, domine humanissime, <sup>3</sup> si te magister Vofgangus Pidinger frequentaverit, ut illi nomine meo, hoc est, in laudem materie, quam proculdubio tibi monstrabit, aliqua carmina composueris; in hoc amico rem gratissimam feceris. Missem, credite (vobis loquor, simpote), pisces aliquos, <sup>4</sup> que me presente etsi absente sumissetis, ni nostras partes non caristia, sed prope penuria teneret; sed accipiatis, sicut dicunt exterius in egragiis pagis apud doctos plebanos, affectum pro effectu. Quia par deum sanctum successive fit motus, ego in rai <sup>5</sup> veritate non alitar credo, quam diabolus merdavit ad Tanubium, ita ipsi glaciebus sunt sterca; nunc mittatis, nisi me coquere. Longum non est parpetuum. Adhuc mea stella eciam semel erit <sup>6</sup> splendere, nam semper post pluviam libenter splendit sol. Ego haberem vobis bene cum uno sacco scribere, sed causa brevitatis supersedio, quare quoniamquidem quippe nempe idcirco conclusionem infero responsalem. Valete dixi. Datum, ego nescio, quando. <sup>7</sup> Vos bene eritis in digitis numerare vel in urina videre. Vester ut suus, ut supra.

Egregio ac excellenti artium ac maedicinae doctori Iohimo <sup>8</sup>  
Vadiano domino ac amico suo praecipuo.  
In eius absentia domino doctori Victorii Gamp.

---

## 2. — Ad Ioachimum Vadianum.

Ihesus, Maria. Bartholomeus F. P. Ioahimo suo salutem. Dedi proxime ad te literas, doctor amantissime, quas an ceperis, ignoro. Nunc hisce te humanissime obtestor, quatenus quantocius sequentem materiam hexastico seu octastico includas. Procedebant proxime duo lamentanda funerà: mater cum filia grandiori, que quotidiane virum seu sponsum expectaret (iam crepundia vestesque pro himeneo celebrando sarciebantur), eo loco, quo filia in lucem prodierat, mortem oppeciit. Duabus sandapis feruntur, uno inponuntur tumulo. Crede, Vadiane amantissime, non te in hac re fatigarem, qui tamen pro amico, ut homo ingenuus es, fatigari potes minime, ni tot lacrime pariter de tamen miserando funere effusae fuissent. Tu tamen aggera (prout nosti), quantum potes. Quod dum (rupta mora) perfeceris, magistro Wolfgango Pidinger, qui nactus nuncium mihi mittet. Unum obmisi. Faticinata mater mortem filiae suam paulo post sequturam, etsi ambac egrotarent pariter, ordinatque mater ad funeris indusum filiae. Sic tandem mortuam eadem lice subsequitur tua. Vale, mei memor, Vadiane suavissime. Date Bude, duodecima Marcii, anno domini MDXVIII. Tuus ut suus.

Egregio ac excellenti artium et medicinae doctori Ioachimo Vadiano domino ac amico suo Vienne.

## 3. — Ad Ioachimum Vadianum.

Ihesus, Maria. Ego te meosque et tuos pariter simpotas valere ex sententia aveo; quos velim, tu scis, Vadiane suavissime. Intellexi ex literis magistri Wolfgangi Pidinger meum te vidisse exercitium satis (ob occupationem meam) manu neglegenti conscriptum, quod ego ex ea, qua in te utor, fiducia tibi limandum commando ita, si id tuae consulciori, ut egrediatur in publicum, videbitur Minerve, cui carmen tuum iucundissimum adiunxeris. Fac, amabo, pro amico tui (crede) observandissimo. Tu mecum manda et precipe, si quid in rem tuam a me peragi agnoveris: senties me tibi nusquam defuturum. Vale mei memor. Cum fructus apud nos hic a Bude, quos novos illic novero, maturerint, vestrum memor, hoc est, tui et communium nostrorum dominorum Victoris, Tansteter, Acher, Bohemi etc. ad vos transmittere curabo. Vale mei memor. Date Bude, 21. Aprilis, anno domini 1518. Tuus plus quam suus, si opus fuerit, Bartholomeus F. M.

Excellentissimo artium ac medicinae doctori Ioahimo Vadiano, domino ac amico suo observandissimo Vienne Pannonie.

## 4. -- Ad Georgium N. notarium Crembniciensem.

Reversus ex Babilone bonis avibus te salutat tuus ille frater et amicus Bartholomeus secum pleraque nova adferens. Sunt de hoste nostro rumores, qui occupationem regni nostri promittunt; facit hoc cecitas nostracium, avexit proxime miseram plebem et barbaram Croacie catervatim, avexit ex Corintia plurimos magis miserandos. Conatus proposito in mari ad Zegnum et Sanctum Vitum in flumine repulsus tamen viginti galeis Venetis contranitentibus, de quo et ovarunt gnaviter. Gallus proximis diebus Mediolanum civitatem occupasse fertur, qui prius de Castro triumpharat. Summus pontifex hac tenus Romam cum Petro non vidit. Imperator cum imperio Neuremberge concionem celebrat; adest illic vocatus Luterus noster, cui dominus Iesus benevelit, cum nomenclator suus sit constantissimus. De rege autem nostro, quod scribo, accipe et hoc paucis. Diadema regium sabbato ante Iubilate sponse sue Marie meritissime a Boemis concessum est. Cuius reditus incertus est, nam nunc primum indicta est Boemis dieta; cur, non satis constat; Deus tamen optimus maximus bene vortat. Vaivoda noster (vel suus pocius), ut alii referunt, gnaviter Turce contradistit, ut alii, Transilvanis, qui se dice presenti opponunt sub pacto, quo nulla civitatum Transilvanarum ab eis senciat, aliquin communis sentencia cuncte relique in ultimum excidium frangentis tale fedus machinaturas constanter asseruerunt. Placet hactenus cunctis sententia. Haec habui ad te, frater mi, paucis barbarie hac mea illota et quantumvis impolita scribere. Salutabis meo nomine (si apud vos est, nam ex fama quotidie huc ad nos expectatur) Cunradum nostrum, ad quem litteras meas dedissem, ni eum expectarem. Is tamen, si aderit, sit novorum presencium te indice particeps. Dominum Paulum volo salvare plurimum sique valebis foeliciter in Christo Iesu mei (ut scis) memor tuque, si me amas, rescribe familiarius et grandiloquentiam tuam erga me posthabueris denuo. Vale. Datum Sembrnicie XVIII. Mai, anno domini MDXXII. Tuus ut suus Bartholomeus Frankfordinus Pannonius.

Tot in litteris meis obeliscos ne abhorrueris, cum volanti et animo et calamo haec scripserim.

Prudenti ac ingenuo Georgio N. notario Crembniciensi dignissimo suo amicissimo amico Crembnicie.

## APPENDIX I.

### **HOMERI BATRACHOMYOMA CHIA METAPHRASTE IOANNE CAPNIONE.**

Ranarum murumque simul crudelitatem bella  
Quaeque super genibus descripsi carmina nuper,  
Nunc canere atque omnes hominum vulgare per aures  
Est animus. Spirate, deae, sacramque movete

5 Ex Helicone chorum vaticine inducite cantum !  
Nam non parva quidem fecere pericula mures  
Horrida terrigenarum imitati bella Gigantum.  
Talia mortales referunt primordia rixae.

Muscipulæ rapido fugiens discrimina cursu  
10 Conceptamque sitim cupiens sedare propinquo  
Mus posuit barbam stagno dulcique liquore  
Tam laetus, quem rana procul conspexit et inde  
Garrula Limnocharis tali fit voce loquuta :  
Qui sis, unde ad aquas venisti quive parentes,

15 Dic et vera refer nec te mendacia tangant ;  
Nam si te nostro dignum narrabis amore,  
Munera multa dabo tibi, quae monumenta relinquam  
Hospicii et mecum nostris laetabere tectis.  
At tibi si nostri proles et nomina cure :

20 Rex ego quippe vocor Physignatus inque palude  
Nunc ranis praesum perque omnia saecula regno  
Sumque satus Peleo, qui quondam Hydromedusa  
Littore in Oceani genuit connexus amore.  
Sed te conspicio robusto pectore et armis.

Certe alios superare duces, tum corpore honesto.  
Ergo, age, continuo pandas stirpemque genusque !

Ad quem Psicarpax tali tum voce locutus :  
Quid genus obscurum nullis cognoscere tentas,  
Nomine nanque vocant omnes Psicarpaga mures

30 Magnanimusque pater Troxartes dicitur esse  
Lichimyleque mihi genetrix, quae sanguine creta  
Pernotredi olim sceptris regnoque superbi.  
Haec postquam genuit me, cum mortalibus una  
Nutrit atque cibum posuit fucusque nucesque.  
Quoniam igitur pacto nostro iungeris amori,  
Cum certe nobis natura aliena genusque ?:  
Tu vitam in stagno ducis, mihi rodere cura  
Et panem mollem tenuesque e farre placentas,  
Haec tacitus quoniam suspensis tollo canistris

40 Quaeque solent homines ventri mandare voraci  
Quodque iecur certe tunica velatur in alba.  
Non sane fugiunt pernae me frusta suillae,  
Caseus et duci nuper de lacte coactus  
Mellitaeque dapes, summis quae pabula divis ;

45 Lauta hominum quicquid demum convivia poscunt  
Et quaecunque cocci patinis condita reponunt,  
Nos soliti mures arguto rodere dente.  
Nec strepitum belli fugio, sed semper in armis  
Ante alios primus medio dux agmine versor.

50 Non hominem timeo quam magnum corpus habentem.  
Sed lectum ingrediens unguis digitosque momordi

*Et calcem strinxi, mihi nec dolor affuit, illi  
 Nec facimus somnum placido discedere morsu.  
 Sed duo praecipue, quae sunt animalia terris,  
 Muscipulam mitumque tremo portantia luctum  
 Et tristem laqueum nobis lachrymabile fatum.  
 Muscipulam in primis timeo quae saepe fugacem  
 Ingressumque cavum loetalii denotat astu.  
 Nec raphanos rodo praeognansque cucurbita nobis  
 Nec betae virides, viridis nec brassica gratus  
 Est cibus; haud opio nimium delector amaro,  
 Talis nanque cibus vobis solet esse sub undis.*  
*Ad quem subridens sic contra est rana locuta:  
 Certe, hospes, nimium, nimium te tollis in alvo;  
 Multa etiam ranis stagno terraque supersunt,  
 Nam victimum ancipitem nobis Saturnius ipse  
 Et terra saltare dedit, tum corpus in undis  
 Occulere, ut laete vita vivamus ultraque.  
 Quod si scire velis, facile est tibi noscere cuncta,  
 Si nostrum ascendas dorsum nodoque tenaci  
 Constringas collum, ne delabaris in undas,  
 Sed possis laetus dominibus succedere nostris.*  
*Dixerat haec tergumque dedit, conscendit at ille  
 Extemplo manibusque ambabus colla revinxit.  
 Gaudet aquis primum, gaudet portuque propinquo  
 Et gaudet liquidas illani sic nare per undas,  
 Humida sed postquam sensit sua corpora fluctu  
 (Heu, miserum!), faciem lachrymis perfudit et illum  
 Poenitet, immeritos yellitque dolore capillos.  
 Tum pedibus stringit ventrem, timet ipse, timore  
 Ingemit et pavidum turbant discrimina pectus  
 Et caudam liquidis ceu remum traxit in undis.  
 Tum vultu lachrymans madefactus corpore toto  
 Numina cuncta simul precibus votisque vocavit,  
 Ut tandem optatam liceat sibi tangere terram.  
 Non sic portabat taurus sibi pondus amatum  
 Fluctibus Europam vexit cum littore Cretae,  
 Ut rana attollens pallentia corpora fluctu  
 Tergore supposito muri sua tecta petebat.*  
*Tum subito horrendum visu videre per undas  
 Hidrum fatiferum tollentem colla sub auras,  
 Quem simul aspergit gelido tum pectore rana,  
 Corpora, dum cuperet vitare pericula tanta,  
 Qui fuerat stagno misere periturus in illo,  
 Immemor, o, socii trepidantia mersit in undis.  
 Ille, simul sese cernit vectore relicturn,  
 Palluit et miserum cecidit resupinus in aequor  
 Compressitque manus gemitu miserandus et omne  
 Complevit stagnum tentaque evadere mortem*  
<sup>100</sup>  
*Ter submersus aquis, liquidis ter mersus in undis  
 Calcitrat et superas redit moriturus in auras,  
 Nanque humore graves ducebant pondere setae.  
 Irrita sed postquam sensit contamina fato  
 Iam medio, tales fundit ex ore querelas:  
 Et caelare deos, Physignate, talia facta  
 Sperasti, miseram cum me ceu vertice montis  
 Volvisti stagnum levi de corpore in altum,  
 Perfide, non terris ausus contendere contra,  
 Nam neque luctando melior nec tollere plantas*  
<sup>110</sup>  
*Doctior aut tandem palmis connectere palmas,  
 Arte mala captum sed me, timidissime rerum,  
 Proicitis in fluctum. Cernit deus omnia vindex,*

*Nanque dabis poenas meritis pro talibus et iam  
Videris armatos horrendo ex agmine mures.*

115 *His animam dictis spirantem vidit, in illis,  
Lichopinax, ripis stagni qui forte sedebat;  
Muribus exulans facinusque scelusque reportat.  
Quos (postquam audierant mortem) gravis impulit ira.  
Nec mora. Continuo murum genus omne superbum*

120 *Troxartis miser tum ad regia tecta vocari  
Praecipiunt, primum cum sol lusitaverit orbem,  
Nanque erat ille pater Psicarpagos arte perempti,  
In felix stagno stabat cui corpus inane  
Nec, dum esset mollis, valuit contingere ripas,*

125 *Sed miser, ah, media nabit resupinus in unda.  
Illi, praecipites radiare ut lumine montes  
Aspiciunt, summi petiere palatia regis.  
Iamque trucem, laetho gnati qui percitus, iram  
Stringit et has fundit Troxartes pectore voces :*

130 *Solus ego, o socii, ranis ummania passus,  
His tamen aspicio iam dudum fata parari.  
Tres ipse infelix genui ('miserabile!') natos  
Atque orbum totidem nati lique parentem.  
Muscipula primum laniavit, nanque retortis*

135 *Unguis arripuit traxitque foramine curvo.  
Ast alii immites homines mala fata tulere,  
Lingnea dum miram fata invenere per artem,  
Quae laqueo appellant, horrenda pericula murum.  
Tertia restabat nobis charissima protes,*

140 *Solamen fuerat solus mihi nanque relicta :  
Hunc freta imperio niserum mala rana peremit.  
Nunc, agite, ornantes variis iam corpora in armis  
Agmine terribili ranarum tecta petamus !  
Dixerat et cunctos animos excivit ad arma.*

